

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0780

0778

0784

0774

0789

0769

0829

0729


0879

0679

0279

Ende

Anfang



207

de hoc initio loquentium, ut dicit auctor de mirabilibus mundi; cum Sallustius dicat, eam a Trojanis constructam, et Eusebius a Romulo, et caeteri ab aliis, et per consequens nescitur, quo tempore esse civitas inceperit. Nostrae autem sanctae Jerosolymitanae urbis conditor et tempus conditionis, sacris litteris et auctoribus demonstratur, ut superius patuit. Esto tamen, quod Romulus ille parricida Romam condiderit praedis et latrociniis, ut refert Orosius de illo, longe tamen post Jerusalem condita est, tempore Ezechiae regis Juda, (251 A) post conditionem urbis Jerusalem annis duobus millibus CCXXX (2230.), ante Christi nativitatem annis DCCLI, anno vero mundi 4484. Et mirum est, quod tantae urbis initium ignoratur, de qua Hieronymus ad Paulinum dicit: habuit illa aetas inauditum omnibus saeculis celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingressi aliud extra urbem quaererent. Troja vero, teste Homero IV., erat omnium, quae sub sole et stellifero coelo sunt, urbs quidem insignissima, sed ita deleta est, ut Ovidius dicat: Jam seges, ubi Troja fuit. Et quod his amplius est, quo in loco Troja fuerit, nulli nunc compertum habetur. Ita enim ingens Troja, quae erat totius Asiae columen, exstincta est, ut neque cadaver nec vestigium eius appareat. Insuper et locum, in quo quidam Trojam stetisse suspicantur, in Hellesponto, dicunt penitus nullam proportionem habere ad hoc, ut possit civitas nobilis ibi stare. Sed non ita de nostra sancta Hierosolyma, quae annis mille CCCCLXXXIII ante Trojam est condita et usque hodie insignis habetur. Troja enim tempore Ajoth, iudicis Israel, Judicum III., fuit condita, aliqui dicunt in Hellesponto, aliqui in Dardania a Tros quodam sic dicto; et anno 250 a sua conditione fuit destructa, sub tempore, quo iudicavit Abdon Israel, de quo iudice habetur Judic. XII. De Troja vide Part. II. fol. 174.

Est enim Jerusalem una de vetustissimis mundi civitatibus, ut patet supra fol. 255. Antiquior enim quam Trevisis annis mille et VIII. Trojam excedit annis mille 483. Romam vero duobus millibus ducentis XXX, et usque hodie perseverat, quoniam Dominus Deus elegit eam. Igitur dicitur in Psalmo: Elegit eam in habitationem sibi, dicens: Haec